



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KANEN*** NOVA DIOECESIS CONDITUR IN NIGERIA
EX VICARIATU APOSTOLICO KANENSI Dilectas Afras apud gentes Evangelii semen, largiter iactum, gradescere
laetanter conspicimus idemque uberes fructus gignere. Nos autem pro viribus contendimus ut Domini salutaria beneficia
ibidem omnia loca cunctasque efficaciter stirpes contingant. Idcirco res disponere properamus ut hoc facilius
commodiusque eveniat. Quapropter de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, quorum interest audita
sententia, haec statuimus et decernimus. Sedula industria sodalium Societatis Missionum ad Afros iam prosperantem
Vicariatum Apostolicum *Kanensem* ad dioecesis dignitatem attollimus, eodem servato nomine, quam Ecclesiam deinde
suffraganeam facimus Metropolitanae Ecclesiae Kadunaënsi necnon Congregationi pro Gentium Evangelizatione
subicimus. Episcopalem porro sedem in urbe ponimus, quae Kano appellatur, et ibidem templum, Sanctae Mariae
Dominae Nostrae Fatimensi dicatum, ad statum Cathedralis Ecclesiae evehimus. Cetera secundum leges canonicas
temperantur. Ad haec omnia exsolvenda Venerabilem Fratrem Osvaldum Padilla, Archiepiscopum titulo Piensem atque
in Nigeria Apostolicum Nuntium, deputamus, facta facultate quempiam virum in ecclesiastica dignitate constitutum
subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro
Gentium Evangelizatione mittantur. Contrariis rebus minime obsistentibus quibuslibet. *Datum Romae, apud Sanctum
Petrum, die altero et vicesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo nono, Pontificatus Nostri
vicesimo primo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Emmanuel Fernandez, *Protonot. Apost.*

Tharsicius Nardi, *Protonot. Apost.*

s.n.

*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 11, p. 1029. © Copyright 1999 - Libreria Editrice Vaticana